



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Martini Lvtheri Piae Ac Doctae Operationes In Dvas  
Psalmorvm Decades**

**Luther, Martin**

**Basileae**

**VD16 L 5540**

Ad uictoram paslmus Dauid.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37005**

MAR. LUTHERI OPERATIO,  
PSALMVS VICESIMVS,  
Hebræis vicesimus primus.  
Ad uitioriam psalmus David.

**D**OMINE in uirtute tua lætabitur rex, & super salutare tuum  
exultabit uehementer.

SIMILIS fere per omnia psalmus est præcedenti, ut & hic non satis certus sim, de solo ne Christo, an quo quis rege intelligi debeat, mirumq; tam aperitis in figuratis q; uerbis, tam obscuram inesse intelligentiam. Omnino tamen uidetur esse gratiarum actio quædam super acceptis his, qui præcedente postulata sunt, ut sit Epinicion quoddam Christi a mortuis resurgentis. Atq; ut plenum præcedentem, interpretati sumus, primum de rege figurati, ita hunc contra, primum de rege figurato Christo interpretemur, cum reuera David & quis rex, bellis & uitiorijs suis Christi passionē & resurrectionem figurauerint, & facile sit, figuram & rem figuratam, ex se inuicem intelligere. Forte & hic psalmus generali sententia de utroque rege simul loquitur, sicut in præcedente uisum est.

Rex Christus, uicta morte, lætabitur, in uirtute tua, qua eum resuscitasti & uiorem fecisti, qui in infirmitate carnis mortuus, omnibus subiectus fuit, seu, ut Apostolus ait, ij. Corinth. ultimo, Nam & si crucifixus est ex infirmitate, sed uiuit in uirtute dei. Idem est, quod altera pars dicit: Et in salutari tuo exultabit uehementer, id est, ubi a morte saluus factus fuerit. Interpres noster, libenter uertit, salutare, pro salute, nescio quare. Virtus autem & salus dei, ubique fere pro ea re accipitur, qua nos deus saluos & ualidos facit, ut sint donorum dei uocabula magisq; autoris, sicut saepius dixi, de sapientia dei, de iusticia dei, & similibus.

Multa autem sunt nomina, nō solū in hebreæ lingua, sed & græca & latina & teutonica, forte & in omnibus alijs, quibus uires seu fortitudo significantur, quorum differentiam alio loco, inquiremus. Et uerba lætitia & exultatio nis, psalmo. v. & ix. tractauimus.

Desiderium cordis eius tribuisti ei, & uoluntate labiorum eius, non fraudasti eum. Sela.

Periphrasis gemina, orationis, prior cordis, altera oris, Rhetoricatur enim **Oratio**. Propheta, Quid est oratio mētis, nisi desiderium cordis? Quid oratio oris, nisi uoluntas labiorum? Alij tamen pro uoluntate labiorum, eloquium seu prolationem labiorum, sed segnius orationis uim significant, hoc enim labiorum eloquium, oratio dicetur, quo aliquid peti significatur, aptius ergo noster, uoluntatem seu desiderium labiorum dixit, ut respōderent labia cordi, & eorum

**Oratio uocalis**. uoluntas illius desiderio, ut exprimat orationē uocalem, ne orationem quidem dici, nisi & ipsa desideret, e cordis desiderio & affectu prolata. Voluntas enim labiorū, uiua & feruens est oratio, quid enim uiuatius uoluntate seu desiderio? Nescio si hūc tropum Davidici eloquij, usq; in scripturis inuenire liceat.

**Nota.** Ordo sane pulcher est, quod oratio cordis, primo loco habenda sit, sine qua, labiorum